



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Eusebiu Tu Pamphilu Ekklesiastikē Istorია

Eusebius <Caesariensis>

Mogvntiae, 1672

Henrici Valesii Epistola Ad Jacobum Usserium Armachanum, De versione septuaginta Interpretum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14478

τῆσιν μαρτύροις, οἰκόν τε κτίθειν παρὰ μὲν Ἰθν, νεώτερον δὲ
 310, &c. Quæ quidem verba Interpretis sic Latine
 vertit, quasi Constantinus duas in ea civitate Eccle-
 sias ædificasset; cum tamen constet vel ex sequenti-
 bus Eusebii verbis, unicam fuisse. Sic igitur verten-
 dus est hic locus: *In Provincia autem Palestina apud
 civitatem que Hebræorum regia quondam fuit sedes, in
 ipso urbis mediotullo ad locum Dominice passionis, æ-
 dem sacræ immense amplitudinis & sanctuarium in
 honorem S. Crucis, omni magnificentia genere exorna-
 vit. Quinetiam Monumentum Servatoris sempiterna
 memoria dignum, illiusque tropæa contra mortem ere-
 ctæ, ornamenti que dicendo exprimi nequeunt, decoravit.*
 In his Eusebii verbis, τὸ σωτήριον μαρτύριον. *Passionis
 Dominice locum interpretatus sum; tametsi in Epi-
 rola Patrum Concilii Hierosolymitani pro ipso tē-
 plo sumatur, ut supra ostensum est. Quod quidem
 neminem turbare debet. Sic enim Anastasin, tam
 pro monumento ipso, quam pro ædificula promiscuè
 usurpari docuimus. Porro hæc varietas ac dissen-
 sio, ut locorum vicinitate orta est; cum Golgotha à Mo-
 numento octoginta tantum passibus distet, ut scribit
 Antoninus. Hinc etiam est, quod hæc Basilica modò
 Anastasis appellatur, ut ex Eusebio, Cyrillo, Ju-
 stiniano, Joanne Moscho & Wilhelmo Tyrio supra
 ostendimus; modò Ecclesia sanctæ Crucis. Sic enim
 appellat auctor Chronici Alexandrini in dictione se-
 ptima: ἡ πόλις ἡ ἀγία τοῦ Παυλίου τῶν τοῦ ἁγίου Ἰωάννου
 τὰ ἐγκαίνια τῆς ἐκκλησίας τῆς ἁγίας αὐτοῦ. τῆς οὐνοσπο-
 ρείας, &c. Id est: *his Cosl. facta est dedicatio Ecclesie
 sanctæ Crucis, quam Constantinus Magnus ædificaverat
 temporibus Macarii Episcopi Hierosolymitani, die 17.
 mensis Septembris.* Fallitur tamen, ut obiter dicam,
 auctor hujus Chronici. Non enim Consulatu O-
 ptati & Paulini, sed anno sequente hæc Basilica de-
 dicata est, Constantio & Albino Cosl. anno Christi
 335. præsentibus Episcopis qui iussu Imp. Constan-
 tini in urbe Hierosolymitana convenerant post Syno-
 dum Tyri habitam. Habita autem est Synodus in
 urbe Tyro, iis quos dixi, Cosl. ut Athanasius in A-
 pologia testatur ex ipsius Synodi gestis. Pro 17. die
 mensis Septembris, apud Nicephorum dies 13. poni-
 nitur. Tametsi Interpretis Latinus decimum quartum*

A restituit, quo die Exaltationem S. Crucis Occidentaria
 Ecclesia celebrat. Sed vulgata lectio in Nicephoro
 retinenda est, & in Alexandrino Chronico retinenda.
 Nam encanias Ecclesie sanctæ Resurrectionis, die Sept.
 quotannis celebrabantur, ut legitur in Mo-
 nologio Græcorum, & in typico S. Sabæ 13. die Se-
 ptembris τὰ ἐγκαίνια τῆς ἁγίας ἁγίας αὐτοῦ. ἡ
 scribit Sophronius in oratione de Exaltatione S. Cru-
 cis. Ubi etiam notabis Anastasin vocari, quæ in Chro-
 nico Alexandrino Ecclesie S. Crucis appellatur. De
 hoc festo Sozomenus in lib. 2. c. 25. Illustris est locus
 ex homilia 14. Cyrilli Hierosolymitani, qui nostram
 sententiam eximie confirmat. Explicans enim hæc
 verba Sophronii: *Propterea expellam te dicit Dominus,
 in diem Resurrectionis meæ, in testimonium,* subiungit
 hæc verba: *βλέπετε ὅτι καὶ τὸ πῶς τῆς ἀνάστασης ἀπο-
 δεικνύει ὁ ἀποστόλος μαρτύριον ἐπιπέδου διστάριον. τὴν γὰρ
 λόγον κατὰ τὰς λοιπὰς ἐκκλησίας, ὅτι τὸ ἐγκαίνια τῆς
 ἀνάστασης ἔτος ὁ τόπος ἐκκλησίας καλεῖται, ἀλλὰ ἡ μαρ-
 τύριον; Id est: *Vides quod & locum Resurrectionis prae-
 vidit Propheta Martyrium vocandum. Quare enim non
 juxta reliquas Ecclesias hic Golgotha & Resurrectionis
 locum, Ecclesia vocatur, sed Martyrium? Vides unquam
 Basilicam à Cyrillo Hierosolymitano agnosci, quæ
 & Martyrium dicta sit Non igitur duas fuerunt Basi-
 lica, ut credidit Jacobus Simondus & Gretserus;
 altera in loco Passionis, altera in Resurrectionis lo-
 co constructa. Potior apud me est Cyrilli Hierosoly-
 morū Episcopi auctoritas, qui unam duntaxat Eccle-
 sian, tam in Resurrectionis quam in Passionis Do-
 minicæ loco sub Martyrii nomine conditam fuisse tes-
 tatur. Quod si Cyrilli testimonium non sufficit, al-
 terum adjungam Basilii Seleucensis ex orac. 38. con-
 tra Judæos: *ἐκεῖ γὰρ κύριον κατὰ ξίμας αὐτοῦ σφαιροδύω
 καὶ ταφῆσαι καὶ ἀνάσθηναι τὴν καλὴν αὐτοῦ τολοδα. ἐκεῖ καὶ ὁ
 ἁγία ἦθεν καθύπερθε ἐκκλησία. ἰπώνομα; τὰ σφαι-
 ρα καὶ κύριον πᾶσι φέρουσα μίχθηναι, τὴν σφαιρὸν δὲ καὶ
 τῆς ἀνάστασης. Habes meam de Anastasi & de loco
 S. Hieronymi sententiam. Quam quidem non re-
 fellendi cujusquæ (id enim alienum est à nobis) sed
 inquirendæ & aperiendæ veritatis studio propolui.
 Vale. Lutetiæ Parisiorum Idibus Decembris, anno
 1650.***

HENRICI VALESII EPISTOLA
 AD JACOBUM USSERIUM ARMACHANUM,

De versione septuaginta Interpretum,

DOCTISSIMO VIRO IAC. USSERIO ARMACHANO
 Henricus Valesius salutem.

ET si Syntagma tuum de 70. Interpretum versio-
 Enc, quod ad me misisti, nondum acceperim;
 quod factum est ejus culpa, cui illud ad me per-
 ferendum tradidisti; tamen cum intelligerem ali-
 quot ejus exemplaria in hac urbe reperiri, victus
 legendi cupiditate, unum ab amico commodatum
 accepi, statimque mihi perlegendum curavi.
 Nolo hic tibi laudes tuas ingerere. Neque enim
 id modestia tua, nec amicitia nostra patitur. Di-

cam potius ingenuè quod censeo. In plerisque
 quidem quæ illic à te scripta sunt, assentior tibi;
 tuamque eximiam eruditionem & acumen ingenii
 magnopere demiror. Sunt tamen nonnulla, in
 quibus abs te dissentire cogor invitus: quæ qui-
 dem brevi Epistola comprehensa ad te mitto; te-
 que ut eodem animo quo à me consecuta sunt, ea
 suscipere velis, etiam atque etiam rogo.
 Primum igitur in hoc abs te dissenso, quod feri-

his duas fuiffe versiones 70. Seniorum: alteram ve-
ram ac germanam, qua regnante Ptolemæo Phila-
delpho facta est, & in ejus Bibliotheca Alexandria
reposita: alteram spuriam ac subditiçiam, quam pau-
lo post annum 4. Ptolemæi Physconis Alexandria
elaboratam esse contendis. Hanc postea ab omni-
bus passim receptam, & in Cleopatraz Bibliotheca
repositam, pro vera ac germana illa septuaginta Se-
niorum Interpretatione habitam esse dicis; atque ita
appellari tum à Justino, tum ab aliis Ecclesiæ Scri-
ptoribus qui Justinum sunt consecuti. Sed si ita est
ut dicis, cur nemo ex antiquis Patribus has duas ver-
siones commemoravit? cur Justinus, Irenæus &
Clemens Alexandrinus id ignorarunt? Dicit fortaf-
se aliquis, eos parum diligentes, nec satis curiosos in
hujus rei exploratione fuisse. Sed Origenes & Hie-
ronymus, qui in versione 70. Seniorum emendandâ
tantum studii posuerunt, quomodo id ignorarunt?
Certe in utriusque Scriptis nullum hodie vestigium
exstat hujus duplicis 70. Seniorum versionis. Nam
quod dicis pag. 6. Hieronymum id subodoratum
esse in libro 1. Commentariorum ad Michæa cap.
2. cum ita scribit: *Interpretatio 70. si tamen 70. est*
(Josephus enim scribit, & Hebræi tradunt), quin-
que tantum libros legis Moysi ab eis translatis, &
Ptolemæo Regi contulatos) tantam discordat in præ-
senti loco, &c. pace tua dixerim, nihil ad rem facit.
Neque enim dubitavit Hieronymus de interpreta-
tione librorum Moysi, utrum ea interpretatio quæ
tunc exstabat, esset vera 70. Seniorum; Sed au-
bitavit tantum de interpretatione Prophetarum, &
reliquorum librorum veteris Testamenti, propter
ea quod Josephus & Philo & omnis Hebræorum
schola, quinque duntaxat Moysi libros à 70. Senio-
ribus conversos esse dicebant. Sed & Philo unicam
duntaxat agnoscit Sacrorum librorum interpreta-
tionem. Nam in libro 2. de vita Moysi, postquam
multa dixit in laudem legis Moisaicæ, hoc intuper
addit; congruum fuisse ut tantum bonum aliis quo-
que gentibus communicaretur. Id verò prælitum
fuisse Ptolemæi Philadelphi temporibus. Tunc
enim legis libros in græcum sermonem translatis
esse: idque tanta fide, ut si quis utriusque linguæ pe-
ritus eos in manus sumpserit, satis mirari non pos-
sit Græcæ versionis convenientiam cum Hebræico
exemplari. Ex quibus Philonis verbis manifeste
convincitur; Philonis ætate, id est, Tiberii & Caii
temporibus, mansisse adhuc primitivam illam 70.
Seniorum interpretationem, eamque in Synagogis
vulgo lectitatam & omnium manibus verlatam
fuisse. Hic tu omnino respondebis, falsum esse Phi-
lonem, & spuriam illi ac subditiçiam versionem tribuisse
quod non nisi primitivæ 70. Seniorum interpreta-
tioni conveniebat. Sic enim scribis in Epistola ad
Lud. Capellum pag. 213. Sed quis erudet Philonem,
qui & Alexandrinus erat, & primariæ inter Judæos
dignitatis, & qui omnem ætatem in exponendis
veteris Testamenti libris contrivit, adeo retum sua-
rum ignarum fuisse, ut nescierit duas versiones
sacrorum voluminum Alexandriae confectas fuisse:
adeo fatuum, ut eas inter se confuderit. Nam si
quidem id nescivit, quod Alexandria factum fuerat
paulo ante ipsius ætatem, imperitissimus fuerit
hecesse est. Sin id quidem probe scivit, sed lecto-

rem ea de re non admonuit, negligentissimus revera
fuit, nec bonæ fidei Scriptor, quippe qui legentibus
fucum fecerit. Neutrum porro in Philonem cade-
re potest: quippe quem peritissimum simul ac fide-
lissimum Scriptorem fuisse constat. Ceterum non
Philonem modo, verum etiam Justinum, Irenæum;
Epiphanium & reliquos omnes Ecclesiasticos Scri-
ptores errasse dicas oportet, qui Græcam veteris
Testamenti versionem qua vulgo utebantur, à 70.
Senioribus regnante Philadelpho factam esse credi-
derunt. Quod quidem de totactantis viris non
nisi temere dici potest: Sed videamus, quibus argu-
mentis adductus id affirmes; duplicem fuisse versio-
nem librorum veteris Testamenti; primam veram
ac germanam 70. Seniorum: secundam quæ sub
Ptolemæo Physcone facta est, & in locum ac nomen
prioris illius subrogata. In calce capitis primi ar-
gumentationem tuam ita proponis: *Quæ in Ptole-*
maica Bibliotheca fuit Seniorum 70. interpretatio, &
Mosaicorum librorum tantum fuit, & ad textus He-
braicæ veritatem exactissime expressa. Quæ verò in
Cleopatrinâ Bibliotheca posita, eorundem 70. Senio-
rum fuisse communiter existimabatur, non Mosaico-
rum modo, sed etiam Prophetarum librorum inter-
pretationem continebat, eamque à textu Hebræico sum-
mopere discrepantem. Quæ in Cleopatrinâ igitur erat,
non eadem illa 70. Seniorum interpretatio fuit, quæ in
Ptolemæica Bibliotheca primitus fuerat reposita. Ma-
gna profecto vis esset argumenti tui, si primam illam
propositionem validis rationibus adstruxisses. Hoc
enim maxime probandum erat & confirmandum;
primam illam 70. Seniorum versionem jussu Ptole-
mæi Philadelphi elaboratam, solos quinque Moysi
libros continuisse, eamque cum Hebræico textu
ad amissim convenisse, quod tu affirmasse con-
tentus, nullis rationibus aut testimoniis compro-
basti. Respondebis procul dubio, Aristæ ver-
bis ac testimonio utrumque satis comprobatum esse.
Certe Aristæ, & post eum Aristobolus, Philo ac
Josephus, legem duntaxat ab illis conversam esse
tradunt. Idem scribunt etiam Talmudistæ. Verum
multo plures recensere possumus, qui non solum
legis libros, sed Propheticos etiam & Hagiogra-
phos ab iisdem 70. græce interpretatos esse dix-
runt, inter quos est Justinus, Irenæus, Clemens,
Epiphanius, Olympiodorus, & reliqui fere om-
nes Ecclesiastici Scriptores. Quinetiam Hiero-
nymus, quamvis de ea re interdum dubitaverit, aut
potius ab aliis dubitatum esse dixerit, nunquam i-
psè quænam esset de hac quæstione sententia sua, li-
quidò pronuntiavit; sed eam rem in incerto re-
linquere maluit, quàm temere quidpiam affirma-
re. Ceterum Andreas Masius, cujus judicio & eru-
ditioni plurimum tribuo, in præfatione ad Græ-
cam editionem Josuæ, ubi hanc quæstionem copio-
sè & eleganter agit, sententiam eorum qui to-
tius veteris Instrumenti libros à 70. Senioribus in-
terpretatos esse dicunt, vetiorem sibi videti diser-
te affirmat. Cum enim Ptolemæus ingenti deside-
rio teneretur libros omnes antiquos comparandi,
& in Bibliothecam suam transferendi; quæ causa
est, ut libros quidem legis Judaicæ transferri cu-
raverit, propheticos verò neglexerit: maxime cum
Principes hujusmodi vaticiniorum studiosissimi

esse soleant. Ad argumentum verò ex Talmudistis A usi. Verùm quis te docuit, primam illam versionem peritum, optime ibidem respondet Masius. Enimverò etsi tibi concederemus, solos legis Mosaicæ libros à 70. Senioribus conuersos fuisse, ex eo tamen non efficitur id quòd tu vis, 70. scilicet Seniorum versionem, aliam esse ab illa quam Iustinus & alii sub 70. Seniorum nomine in suis libris citauerunt. Neque enim valet hæc argumentatio: Interpretatio quæ à 70. Senioribus iussu Philadelphi facta est, solos legis libros continebat. Interpretatio verò qua Iustinus utitur, non solum legem sed propheticos etiam libros habuit. Ergo interpretatio iussu Philadelphi edita, non eadem est cum illa quam Iustinus citat tanquam interpretationem 70. Seniorum. Eodem enim modo concluderes, libros Ecclesiasticæ historiæ Gregorii Turonensis quibus nunc utimur, alios esse ab iis quos habuerat Fredegarius & Auctor Gestorum Francorum. Nam exemplaria quibus usus est Fredegarius, 6. duntaxat priores Gregorii libros continebant, uti à fratre meo Hadriano Valesio in libris rerum Francicarum observatum est; cum tamen plures hodie Gregorii libros habeamus. Hujus autem discriminis causa hæc est, quòd Fredegarius quidem priore duntaxat editionem historiæ Gregorii viderat, quæ priores tantum sex libros complectebatur. Cujusmodi exemplaria duo vidimus venerandæ vetustatis. Nos verò posteriorem editionem hodie habemus, in qua Gregorius Turonensis reliquos 4. libros superioribus attexerat. Par ratione fieri potuit, ut 70. Seniores in prima quidem editione solos Mosis libros interpretati sint: in altera autem editione vel ipsi, vel alii Alexandrini Judæi, propheticos & hagiographos libros in Græcum sermonem perinde transfulerint. Certe propheticos libros non diu post legis interpretationem græce translatos fuisse, testatur Jesus filius Sirach in prologo Sapientiæ suæ. Cum enim librum Sapientiæ ab avo suo Hebraicè conscriptum ipse græce ederet, veniam petit à lectoribus, quòd vim ac Majestatem sententiarum non satis expressisset: *Non enim, inquit, eandem in se vim habent hebraicè dicta, cum in aliam translata sunt linguam. Nec solum hæc sed etiam lex & Prophetæ & ceteri libri, non parvam habent differentiam cum sua lingua leguntur.* Ex quibus verbis apparet, jam tum Stracidis ætate, id est, Ptolemæi Philconis temporibus, propheticos libros græcè lectos fuisse. Mihi certe nullomodo videtur verisimile, Judæos à Philadelphi temporibus usque ad 4. annum Ptolemæi Philometoris, græca Prophetarum interpretatione caruisse. Nam à Philadelphi temporibus Judæos Alexandrinos non aliter quàm Græcè libros sacros in Synagogis suis legisse, pro certo habeo. Quod quidem tum Siracides, tum Philo satis ostendit.

Superest altera pars argumenti tui. Ais enim primitivam illam 70. Seniorum versionem, quæ regnante Philadelpho facta est, Hebraici textus veritatem exactissime expressisse: illam verò quæ in Cleopatæ Bibliotheca reposita est, & qua Iustinus & veteres Christiani sunt usi, ab Hebraico textu plurimum dissentire, ut docet Origenes in Epistola ad Africanum. Ex quo concludis, primitivam illam 70. Seniorum Interpretationem non eandem fuisse cum illa, qua Iustinus alique sunt

70. Interpretum cum Hebraica veritate ubique exactissime consensisse? Cum enim juxta tuam sententiam hæc verio jam dudum interierit, ita ut nullum ejus vestigium usquam exstet, undenam quædam tuam admirabilem ejus versionis cum Hebraico textu consensum deprehendere potuisti? Profers hic nobis testimonium Aristæ. Verùm Aristæ nihil amplius dicit, quàm legis libros à 70. Senioribus accurate translatos fuisse; cumque eorum versio publice lecta esset in insula Pharo coram Principibus omnique populo Judæorum, omnium suffragio eam esse comprobata. Philo quidem in lib. 2. de vita Mosis de 70. Seniorum versione loquens, tanta cum fide ac sinceritate eam confectam esse affirmat, ut quisquis eam legerit, modò utramque linguam calleat, miraturus sit Græcorum verborum cum Hebraicis consonantiam. Sed hoc Philonis testimonium nihil te adjuvat, cum in Epistola ad Capellum, Philonem Hebraicæ linguæ imperitum fuisse fatearis, & posteriore versionem, quæ ipsius ætate vulgo recepta erat, pro prima illa ac germana 70. Seniorum versione sumptisse. Nullo igitur argumento probare potes, primam illam versionem 70. Seniorum cum Hebraica veritate exactissime concordasse.

Ego verò ex tua ipsius sententia ac confessione, validissimum contra te argumentum conorquo. Nam si prima illa 70. Seniorum versio adeò fidelis & accurata fuit; si Hebraicam veritatem tam feliciter expressit; quid necesse erat aliam denudò versionem legis Mosaicæ componere? Neque enim solent novæ interpretationes elaborari, nisi cum prior vitiosa est ac parum fida. Ob hanc causam Musculus novam Eusebianæ historiæ interpretationem aggressus est post Rufinum, & post Musculum Christophorionus. Cumque in tribus istis interpretationibus quam plurimos ipse errores deprehendisset, novissime Latinam Eusebii interpretationem suscepit, tandemque Deo juvante perfecit. Quis verò credat Judæos Alexandrinos, qui jam inde à Philadelphi temporibus primæ illi 70. Seniorum versio affueverant, eam tam facile abjecisse quæ optima erat ac fidelissima, ut aliam depravatissimam afflumerent; repudiassent eam quæ Regis iussu & summi Pontificis auctoritate à 70. Senioribus fuerat elaborata, & in Regali Bibliotheca recondita; ut alteram ab homine privato confectam admitterent. Nunquam profecto id sanis hominibus persuadebis. Venique Aristæas quo uno maxime niteris, tuam illam de duplici Alexandrina versione sententiam prorsus refellit. Ita enim scribit: *Postquam perlecta sunt volumina legum, stantes Sacerdotes & Seniores Interpretum ac civium, & principes populi Judæorum, ita dixerunt, Quamvis quidem recte, sancte, & per omnia accurate perlecta est ista interpretatio, par est ut omnia ista permanent, nec ulla fiat immutatio. Omnibus ad hæc cum approbatione acclamantibus, iussit Demetrius, ut more majorum divi devoverent quicumque his vel addere, vel auferre, vel immutare quidquam auderet. Quod cum illi præsuerunt, ut salva atque integra & involuta interpretatio illa perpetuò servaretur. Post hanc igitur cautionem Judæorum, post hujusmodi impressiones, quis credat repertum esse Judæum ullum*

Alexandria; qui interpretationem illam 70. Seniorum interpolare ausus fuerit? Putasne hoc passuros fuisse Judæos Alexandrinos, ut quisquam inter ipsos interpretationem illam violaret, mutaret, perverteret, quam ipsi sacrosanctam atque inviolatam perpetuò esse iusserant. Neque enim solus is qui novam interpretationem confecerat, verum etiam illi qui repudiata prima illa 70. Seniorum versione novam admiserant, obnoxii erant diris illis imprecationibus majorum suorum.

Veniamus nunc ad alterum caput Syntagmatis tui, in quo pariter abs te dissentio. Scribis in capite 4. *Græca huius posterioris interpretationis, quæ 70. Seniorum titulo tantam est nobilitate, duæ apud veteres extiterunt editiones: altera pro sincera 70. Seniorum versione habita, quæ in Alexandria Bibliotheca reposita & in Origene Hexaplis collocata est. Altera, maxima quidem ex parte illi respondens, sed multis tamen in locis ab ea discedens, quæ quoniam communior erat in usu, novâ sive vulgata est appellata.* Deinde in cap. 5. pag. 51. ita dicis: *Et ita quidem opus fuerat dispositum; ut columna conspicerentur sex, sed editiones numerarentur quinque tantum; cum in duabus primis columnis unica contineretur Hebraica, diversa characterum expressa genere. Et sexta igitur in istis Hexaplis exstaret editio, cum ea qua incorrupta 70. Interpretum translatio descripta fuerat, (ut in capite 4 initio ex Epistola Hieronymi 135. est ostensum) conjuncta fuit etiam altera, quæ vulgatam 70. editionem exhiberet, &c.* Duas igitur 70. Seniorum editiones in Hexaplis Origene fuisse censet; alteram putam, quam ex authentico exemplari, quod in Alexandria Bibliotheca servabatur, descripsit Origene; alteram novâ, eamque asteriscis obelisque distinctam. Ego verò in Hexaplis Origene unicam fuisse contendo 70. Seniorum interpretationem. Certe quotquot ex antiquis Scriptoribus Hexaplorum mentionem fecerunt, unam duntaxat 70. Interpretum editionem in iis agnoscunt. Rufinus in lib. 6. historię Ecclesiasticę. *Origene, inquit, illos famosissimos codices primus composuit, in quibus per singulas columnulas e regione separatim opus Interpretis uniuscuiusque descripsit: ita ut primo omniam ipsa Hebræa verba Hebræis literis poneret; secundo in loco per ordinem Græcis literis e regione Hebræa verba describeret; tertiam Aquila editionem subjungeret; quartam Symmachus, quintam 70. Interpretum quæ nostra est, sextam Theodotianis collocaret.* Ita etiam Epiphanius in libro de ponderibus & mensuris cap. 19. Ubi scribit eum Tetrapla ex quatuor Græcis editionibus consistit, additis deinceps duabus paginis Hebræici textus, duplici modo perscripti, Hexapla componi. Cum ergo in Tetraplis unicam fuisse constet 70. Interpretum editionem, sequitur etiam ut in Hexaplis unica fuerit. Sed & Hieronymus in Epistola 135. ad Sunniam & Fretelam, diserte affirmat unicam 70. Seniorum editionem in Hexaplis fuisse; eam verò quæ novâ seu vulgata dicebatur, in iis locum non habuisse: *Illud breviter admotheo, ut sciatis aliam esse editionem quam Origene, & Casariensis Eusebii, omnesque Græci traditores novâ, id est, communem appellant atque vulgatam, & a plerisque nunc novâ dicitur: aliam 70. Interpretum, quæ & in ἑξαπλόις codicibus reperitur, & a nobis in Latinum sermonem feliciter versa*

est, & Hierosolyma atque in Orientis Ecclesiis decantatur. Ex quibus verbis manifeste colligitur, novâ illam seu vulgatam versionem non fuisse in Origene Hexaplis. Etenim Hieronymus versionem novâ distinguit ab ea quæ erat in Hexaplis. novâ ergo non erat in Hexaplis. Sed oppones nobis eundem Hieronymum, qui in Præfatione in Daniele ita scribit: *Origene de Theodotianis opere in editione vulgata asteriscos posuit, docens defuisse quæ addita sunt; & rursus quosdam versus obelis prænotavit, superflua quæque designans.* Respondeo ex his Hieronymi verbis non id effici quod dicis, novâ scilicet sive vulgatam in Hexaplis locum habuisse. Neque enim id dicit Hieronymus, quippe qui in Epistola ad Sunniam & Fretelam contrarium disertes verbis dixerit, ut antè demonstratum est. Sed hoc tantum dicit Hieronymus, Origene in editione vulgata asteriscos obelisque posuisse: quod certè verissimum est. Origene enim editionem antiquam seu vulgatam 70. Interpretum primo quidem emendavit, collatis inter se multis exemplaribus. Deinde obelis & asteriscis distinctit, sicut ipse testatur in tractatu octavo in Matthæum. Quamobrem editio illa 70. Interpretum quæ in Hexaplis legebatur, partim erat novâ, partim non erat. Erat quidem novâ, quia desumpta erat ex editione novâ seu vulgata. Non erat autem proprie novâ, propterea quòd & multis in locis emendata fuerat ab Origene, & ex Theodotianis aliisque Interpretibus passim suppleta, quod asterisci appositi designabant. Jam vides, ut opinor, Hieronymi locum illum ex Præfatione Commentariorum in Daniele, nihil pro sententia tuâ facere. Omitto reliqua testimonia eiusdem Hieronymi, quæ in cap. 5. Syntagmatis tui pag. 48. ad confirmationem sententię tuæ adduxisti. Ex illis enim locis id tantum colligitur, editionem 70. Interpretum distingui ab editione vulgata. Ubi Hieronymus nomine 70. Interpretum intelligit editionem illam, quæ in Hexaplis Origene legebatur: vulgatam autem appellat eam quæ *novâ dicitur* seu Lucianea vulgò dicebatur; & quæ in toto orbe diversa erat. Alia siquidem erat novâ Alexandria & per totam Ægyptum; quæ Hefychii exemplaria sequebatur. Alia Antiochiæ & per totam fere Syriam atque Asiam, ubi Luciani editio prævalebat. Alia denique fuit novâ temporibus Origene; alia Hieronymi ætate; cum subinde præ locis ac temporibus hæc editio mutaretur atque interpolaretur. Quod nos docuit Hieronymus in Epistola ad Sunniam & Fretelam his verbis: *novâ autem ista, hoc est, communis editio; ipsa est quæ & 70. Sed hoc interest inter utramque; quòd novâ pro locis & temporibus, & pro voluntate Scriptorum veterum corrupta editio est. Ea autem quæ habetur in ἑξαπλόις, & quam nos vertimus, ipsa est quæ in eruditum libri incorrupta & immaculata 70. Interpretum translatio reservatur. Quicquid ergo ab hac discrepat, nulli dubium est quin sit & ab eorum auctoritate discordet.* Idem dicit in Præfatione libri 162. Commentariorum in Esaiam: *Omnes Græci traditores, qui nobis eruditionis suæ in Psalmos Commentarios reliquerunt, hos versiculos veru annotant atque prætereunt; liquido consentientes in Hebræo non haberi nec esse in 70. Interpretibus, sed in editione vulgata*

qua *πρὸς αὐτὸν* dicitur, & in toto orbe diversa est. Miror te, qui hunc Hieronymi locum adduxeris, ut *κεῖν* seu vulgatam editionem in Hexaplis fuisse ostenderes. Atqui Hieronymus in Epistola ad Sunniam & Fretelam, duobus locis te apertissime docuerat, 70. editionem proprie dici eam quæ in Hexaplis habebatur; vulgatam verò, eam quæ pro varietate locorum ac temporum diversa erat, nec in Hexaplis locum habebat. Quinctiam in eadem Epistola non semel, sed sæpius inculcat, editionem illam incorruptam & immaculatam 70. Seniorum quæ in Hexaplis habebatur, & quam ab editione vulgata distinguendam esse ad eò studiosè monuerat, obelis & asteriscis distinctam fuisse. Ceterum sciendum est, vulgatam illam editionem quam ab editione 70. Interpretum in Hexaplis collocatâ diversam esse dixi, asteriscis fuisse signatam. Quod quidem Origenis exemplo factum esse existimo. Nam cum Origenes Tetrapla atque Hexapla sua edidisset, in quibus 70. Seniorum interpretatio cum asteriscis & obelis visebatur, eam editionem 70. Interpretum Palæstini quidem totam sicut erat in Hexaplis admiserunt. Alexandrini verò & Antiocheni cum Ecclesia Constantinopolitana, ac pæne omnes Latini, qui vulgatam editionem sequebantur asteriscos & obelos ex editione illa ab Origene elaborata in vulgatam suam transtulerunt. Hinc est quòd Hieronymus in Præfatione Commentariorum in Danielem ita scribit: *Origenes de Theodotionis opere in editione vulgata asteriscos posuit. Et paulo post: Cumque omnes Christi Ecclesiam tam Græcorum quam Latinorum, Syrorum quoque & Aegyptiorum hanc sub asteriscis & obelis editionem legant, ignoscant in vobis labori meo, qui volui habere nostros, quod Græci in Aquila & Theodotionis ac Symmachi editionibus lætiant.* Neque enim hoc dicere vult Hieronymus, omnes Christi Ecclesias Origenicam 70. Seniorum editionem legisse; cum constet Syros & Aegyptios, illos quidem Lucianea exemplaria; hos verò Hefychii editionem amplexos fuisse; solamque Palæstinæ Ecclesiam 70. Interpretes juxta editionem Origenis lætasse. Id enim diserte testatur Hieronymus tum in Præfatione in libros Paralipomenon, tum in Epistola ad Sunniam & Fretelam. Sensus ergo Hieronymi verborum is est omnino quem dixi; totius orbis Ecclesias asteriscos & obelos ex Origenis Hexaplis in vulgatam suam editionem transtulisse. Quod quidem Hieronymus apertius dicit in libro 6. Commentariorum in Hieremiam, ad cap. 30. *Hæc πρὸς αὐτὸν in 70. non habetur, & in plerisque Codicibus vulgata editionis sub asteriscis de Theodotione addita est.* Et in Præfatione in Josuam: *Si vetus eis tantum interpretatio placet, qua & mihi non displicet; & nihil extra recipiendum putant: cur ea quæ sub asteriscis & obelis vel addita sunt vel amputata, legunt & negligunt.* Ubi scribendum puto, legunt nec negligunt. Sed manifestissime id dicit in Epistola ad Augustinum his verbis: *Miror quomodo 70. Interpretum libros legas non puros ut ab eis editi sunt, sed ab Origene emendatos sive corruptos per obelos & asteriscos; & Christiani hominis interpretatiunculam non sequaris: præsertim cum ea quæ addita sunt, ex hominis Iudæi atque blasphemii post passionem Christi editione transtulerit. Vis amator esse verus 70. Interpretum? Non legas ea quæ sub asteriscis*

sunt, immò rade de voluminibus, ut veterum te satiore probes. Quod si feceris, omnes Ecclesiarum Bibliothecas condemnare cogeris. Vix enim unus aut alter invenietur liber, qui ista non habeat. Quæ Hieronymi verba de vulgata editione intelligenda sunt, quæ toto orbe diversa erat, ut alibi dicit Hieronymus. Denique Hieronymus in Epistola ad Pamachium: *Longum est nunc evolere, quanta Septuaginta de suo addiderint, quanta dimiserint, quæ in exemplaribus Ecclesie obelis asteriscisque distincta sunt.* De Latinis quoque idem testatur Hieronymus. Ipse certe cum vetus Instrumentum juxta 70. Interpretes Latinè vertisset, versionem suam asteriscis obelisque distinctit, ut ait in Præfatione in Job, & in libros Salomonis.

Satis opinor, abundeque probatum est veterum testimonium, unicum in Hexaplis fuisse 70. Interpretum editionem, eamque à vulgata distinctam. Ceterum præter testimonia, rationibus quoque & argumentis idem probari potest. Quorum enim duplex illa editio in Hexaplis collocata fuisse; altera pura & immaculata quam ex Alexandrina Bibliotheca Origenem desumpsisse censet; altera *novè* seu vulgata, id est, ut tu quoque fateris, corruptissima ac depravatissima. Origenes in Tetraplorum atque Hexaplorum editione id maxime studuit, ut 70. Seniorum versionem, quam fieri poterat emendatissimam eederet. Itaque conquisitis variis exemplaribus hujus editionis quæ tum per omnes Christi Ecclesias legebatur, cum plerisque in locis ea inter se dissentire animadverteret, eam lectionem retinuit quæ cum ceteris editionibus, Aquilæ videlicet & Symmachi ac Theodotionis, & cum Hebraico textu magis conveniebat. Ita enim ipsemet scribit in tractatu 8, in Matthæum: *In exemplaribus veteris Testamenti quæcumque fuerunt inconsonantia, Deo præstante, coaptare potuimus. Ea enim quæ vicebantur apud 70. dubia esse propter dissonantiam exemplarum, facientes judicium ex editionibus reliquis, convenientia servavimus, &c.* Cum igitur emendatissimam 70. Seniorum editionem in Hexaplis poneret, quid attinebat aliam simul depravatissimam exhibere? An non supervacaneum id fuisse ac proflus inutile, ipsiusque Origenis proposito contrarium? Certe quicumque novas veterum Scriptorum editiones à se emendatas in publicum emisissent, cujusmodi tum olim, tum nostra ætate fuere quamplurimi, nequaquam soliti sunt duplicem simul editionem lectoribus exhibere. Sed quid diutius immoramur in refutanda opinione, quam vel unus Origenis locus quem proxime adduximus satis refutat. Illic enim Origenes unius duntaxat septuaginta Interpretum editionis abs se elaboratæ mentionem facit. Qui si authenticum ipsum 70. Seniorum exemplar, quod tu in Alexandrina Bibliotheca servatum fuisse Tertulliano & Chryostomo affirmantibus nimis facile credidisti, nactus fuisset, id profecto nunquam tacuisset. Nec Hieronymus aut Epiphanius eius authenticæ exemplaris mentionem prætermisissent. Proinde verissimum est quod scripsit Baronius, falli Chryostomum, qui authenticum exemplar 70. Seniorum in Alexandrina Bibliotheca ad sua usque tempora servatum esse prodidit. *Cui enim, inquit Baronius*

videtur laboratum ab Origene primùm, deinde ab aliis, in ea recognoscenda, emendanda, ac in candorem pristinum restituenda, si ipsum originale suppetebat exemplar, ex quo potuissent omnia summa facilitate corrigi atque emendari? Cui objectioni frustra respondere conaris pag. 53. cum ais laborasse Origenem & ceteros in vulgata editione emendanda, non autem in pura & integra 70. Seniorum versione. Verùm hæc tua responsio non dissolvit difficultatem. Nam si authenticum exemplar adhuc supererat, & penes ipsum erat Origenem, quid opus fuit emendatione? Sufficiebat enim ipsum authenticum exemplar in publicum edere. Nam quemadmodum si authenticum ipsum orationum Ciceronis exemplar haberemus, nihil jam opus esset in iis emendandis laborare: ita si Origenes authenticum 70. Interpretum exemplar penes se habuisset, frustra omnino tantum operæ in eorum emendatione posuisset. Præterea Hieronymus in Præfatione in Paralipomenon discrete affirmat, 70. Interpretum editionem puram ac germanam, ut ab ipsis scripta fuerat, sua ætate non extitisse; idque comprobatur ex varietate exemplarium. Quod si Origenes præter vulgatam 70. Seniorum interpretationem, aliam quoque puram ac sinceram eorundem versionem, ex Alexandrina Bibliotheca depromptam, in Hexaplis collocaverat, immetitò conqueritur Hieronymus; nec verum erit id quod dixit, puram 70. Seniorum editionem sua ætate minime permanuisse.

Videtur autem Nobilius ansam tibi erroris præbuisse. Hic enim ad cap. 14. libri 1. Regnorum versu 42. ubi Græcum Scholion habet: ταυτα μερρη τῷ, & κατακληροδοται, ἐν μόνῃ κείτῃ τῇ ἐκδοσὶ θεοδοτωνοσ. διὸ δεῖ εἶναι αὐτὰ, ὡς ἐν μιᾷ ἢ δ' αὐτῶν ζυγῶν ἢ ἐξερμηνεωτὰ κείμενα ἢ μὲν ἐν ἡβραϊκῷ. Sic notat: Ex Scholiastis verbis, & aliis hujusmodi quæ alibi afferentur, colligi potest plures fuisse editiones quæ nomen 70. retinerent; & interdum quidem in eodem codice positas & quasi conjugatas; unam tamen altera priorerem. Sed neque Nobilius, neque tu qui Nobilium secutus es, intellexistis ambo, quid esset ζυγῶν. Occurrit id nomen in scholiis ad Psalmum 12. ad versum ἀσὸ πῶ κυριῶν. ubi Helychius Scholiastes notat: τῶτον ἢ εἶχον δύο ζυγὰ ἢ ὅβ. ἐρμηνευτῶν ἑταρ' διότι παράκειται σημεῖον τὸ ὄβ. τὰ μὲν αὐτῶν, ὃ λέγεται δαμνίσκου, ὄβ. μὲν κεραίας τῆσ μίσησ σημεῖον ἢ εἶχον, ὄβ. δὲ ἢ δύο εἰρημῶν, τῆσ ἐπάνωθεν καὶ τῆσ ὑποκάτω τὰσ δύο ζυγὰ ἢ ἐρμηνευτῶν κίχαστο: Hinc versiculum duo paria 72. Interpretum habuerunt. Quare appositum est signum quod a tramento sit & vocatur lemniscus. Per mediam quidem antennam significat versiculum; per duo autem puncta, unum supra, alterum infra, indicat duo paria Interpretum. Sciendum est, 72. Seniores in triginta sex paria seu juga à Ptolemao Philadelpho esse divisos; & binos in singulis cellis collocatos. Ita Epiphanius in libro de ponderibus & mensuris, & Justinianus in Novella 146. de Hebræis. Hæc paria Epiphanius ζυγὰσ appellat in eodem libro cap. 3. Idem Epiphanius in cap. 8. eiusdem libri ubi de λιμνίσκου & ὑπολιμνίσκου differit, ait eas notas ab Origene inventas esse ad designandam variam lectionem, quæ in uno aut altero pari 72. Interpretum reperta fuerat; quæ tamen lectio etiam diversa esset, eundem sensum habebat.

Et Hypolemniscus quidem unum par; Lemniscus duo paria 70. Interpretum designabat. Ita Epiphanius in dicto loco, cuius verba alibi emendabimus. Idem repetit in cap. 17. eiusdem libri. Epiphanius sententiam secutus est Helychius, ut ex scholio eius apparet: nisi quod per mediam antennam seu virgulam, versiculum designari existimavit, quod non dicit Epiphanius. Immo indicare videtur Epiphanius, mediam illam virgulam nihil aliud designare quàm similitudinem ac germanitatem vocabuli; id est, ut ipse appellat, τὸ συναμομότερον ἢ ὁμοιον. Certe lemniscus non semper integro versui, sed uni plerumque vocabulo appositus erat, ut docent exempla ab Epiphanio allata. Verbi gratia in septuagesimo Psalmo, ubi legitur τὸ εἶμα ἐξαγγεῖ τὸ δικαιοσύνησ σου. Ad vocem ἐξαγγεῖ appositus erat Lemniscus, & scriptum erat in margine ἀναγγεῖ. Item in Psalmo 71. versu 14. ubi legitur καὶ ἐν τιμονὶ τὸ εἶμα ἀπὸ ἐνοπίου ἀπὸ. ad vocem ἐνοπίου appositus erat Lemniscus, & scriptum erat in margine ἐνοφθαλμοῖσ ἀπὸ, quod idem est. Dixi in margine. Neque enim mihi videntur hæc in textu collocata fuisse. Idque innuere mihi videtur Epiphanius his verbis: τῶτον τὸ τῷ σημεῖου ὄβ. μα τοῖσ θεοῖσ λόγοισ παράθετο, ἢ ὅτι ἀπὸ ἀπὸσ σου ἰσχοῖσ ἐν τῇ ἰσθ. ἐρμηνεῖσ διαφωροῦσαν λέξιν, ἢ μὲν παροῦσαν, ἢ οὐδὲ ἀποσ ταζμὲν τὰσ ὁμοῖασ ἀπὸ τῇ λέξισ, γνῶσ ὅτι. &c. Id est: Sacris codicibus eam notam adscripti Origenes, ut quoties in 70. Interpretum editione, discrepantiam aliquam vocem, quod raro evenit, repereris, quæ ad superioris non adhaereat neque similibus conjuncta sit, &c. Id est, uno verbo: quæ non sit in textu ipso collocata, sed in margine adscripta. Quare paulo post in Epiphanius, ubi legitur ἀπὸ δὲ τῶτου ἀποῖσται, scribo παρακεῖται, id est, ad marginem adscribitur. Epiphanius secutus est etiam Isidorus, qui in lib. 1. Originum sic habet: Lemniscus, id est, virgula inter geminos punctos jacens, apponitur in iis locis quæ sacra Scriptura interpretes eodem sensu, sed diversis sermonibus tractaverunt. Verùm Andreas Mafius vir excellenti ingenio ac iudicio præditus, in erudita illa Præfatione in Josuam, hanc Epiphanius sententiam de duobus 70. Interpretum paribus meritò improbat. Primùm, quia valde incerta res est, utrum 72. Interpretes in paria seu juga distributi, interpretationem suam perfecerint. Deinde tametsi in paria distributi fuissent, undenam scire potuit Origenes hanc unius aut alterius paris in vertendo discrepantiam? Itaque Mafius aliam lemnisci & hypolemnisci explicationem excogitavit; quæ certe longe mihi videtur probabilior: ut lemniscus quidem variam lectionem significaverit, duorum aut plurium codicum consensu firmatam: Hypolemniscus verò unius tantum codicis, vel certe pauciorum consensu firmatam lectionem designaverit. Tu verò hanc viri doctissimi explicationem non probasti, quæ tamen nihil verius est. Nam cum Origenes in editione 70. Interpretum emendanda, plurium codicum collatione usus esset, ut superius annotavi, multasque in iis varias lectiones reperisset, eas duntaxat adnotandas putavit, quæ eundem sensum, licet diversis verbis exprimerent, & quæ cum Hebraico textu aliisque editionibus convenirent. Ceteras tanquam spurias repudiavit, ut ipsemet docet in tractatu 8. in

Matthæum. Sed videamus an ipse meliorem affectus explanationem quam Masius. scribis pag. 75. In aliis libris, per hypolemniscum unico puncto signatum, eiusmodi lectio denotari solebat quæ in uno tantum; per lemniscum verò duobus punctis insignitum, ea quæ simul in utroque Septuaginta Interpretum ordine inveniretur. Quod Hesychius me docuit, ad verba hæc Psalmi 12. *ἀὐτὸ ἡσυχίῃ, &c.* Sed nos jam ostendimus, *ἡσυχίῃ* in Hesychio non significare id quod existimas. Deinde quosnam libros intelligis, cum dicis quemadmodum in aliis libris, &c. An id vis dicere, in aliis libris quàm in Hexaplis. Ita certe suadet totius loci consequentia. Atqui Origenes lemniscum duobus punctis signatum & hypolemniscum cum unico puncto, in Hexaplis apposuerat, ut diserte testatur Epiphanius. Quod si lemniscum duobus punctis signatus id significat quod tu dicis, lectionem scilicet quæ in utroque ordine editionis Septuaginta Interpretum visebatur in Hexaplis, quid necesse erat eam notam in Hexaplis apponere? Nam si in utroque ordine eadem lectio repetebatur, nec lemniscus, nec ulla alia nota opus fuit, cum lemniscus aut alia nota, apponi non soleat nisi ad indicandam lectionis varietatem. Verùm quid diutius immoramur in eo refutando, quod tu ipse nihil fallor condemnabis simul atque hæc legeris. Ceterùm antequam hanc de lemnisco & hypolemnisco notationem finiamus, monendus est lector, nec Origenem, nec Hieronymum ullam huius notæ mentionem fecisse. Quod equidem valde miror. Ac fortasse ideo neuter illorum mentionem huius notæ fecit, quod paucissimis in locis apposita cerneretur. Rarò enim 72. Interpretes inter se dissentiebant. Ac si forte alicubi eorum versio discrepabat, in verbis tantum, non in sensu eiusmodi dissimilitudine residebat, ut in loco suprâ citato scribit Epiphanius.

Transeamus nunc ad caput 7. Syntagmatis tui, in quo duo sunt quæ mihi quidem non probantur. Primum est, quod scribis Psalterium Hierosolymæ atque in Orientis Ecclesiis ex pura ac sincera 70. Seniorum editione decantatum fuisse: in ceteris autem veteris Testamenti libris Palæstinos vulgata Origenis editione usos esse. Alterum est, quod ais Eusebium Cæsariensem Episcopum duas veteris Testamenti editiones evulgasse; alteram cum obelis & asteriscis, quam ex Origenis Hexaplis descripserat: alteram sine obelis, in qua quæcumque ab Origene sub asteriscis addita fuerant, è textu remota & ad marginem translata sunt, ut in Renati Marchali libro legitur. Ego verò non dubito quin Palæstini & Orientales, id est, Arabes & plerique Syri, non Psalterium modo, sed & reliquos veteris Instrumenti libros juxta Origenis editionem legerint. Nam Psalterium quidem ex editione 70. Interpretum quæ in Hexaplis legebatur, Hierosolymitana canebat Ecclesia, ut tu fateris, & Hieronymus scribit in Epistola ad Sunniam & Fretelam. Atqui tu in cap. 4. diserte scribis, in reliquis etiam libris illud locum habuisse, quod in dicta Epistola de Psalterio adnotavit Hieronymus: *Illud breviter admoneo, aliam esse editionem quam Origenes & Eusebius novè appellavit, & à plerisque hæc dicitur: aliam septuaginta Interpretum, quæ & in Hexaplis reperitur, & à nobis in Latinis sermonem fide-*

liter versa est, & Hierosolyma atque in Orientis Ecclesiis decantatur. Quamobrem si quod Hieronymus ibi dixit, non de solo Psalterio, sed de toto veteri Instrumento intelligendum est, illud etiam quod de Hierosolymitana Ecclesia ibidem dixit, de omnibus veteris Instrumenti libris accipiendum erit. Sed & Hieronymus in Præfatione in libros Paralipomenon idiplum perspicue docet his verbis: *Mediæ inter has provincie (id est, Phœnicie, Arabie, Palæstina) Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos Eusebius & Pamphilus vulgaverunt.* Qui quidem Hieronymi locus jungendus est cum altero illo suprâ citato ex Epistola ad Sunniam & Fretelam. Idem enim in utroque loco dicitur, nempe Palæstinos & reliquos fere Orientis Ecclesias legisse libros 70. Interpretum juxta editionem ab Origene in Hexaplis elaboratam; quam quidem editionem unicam fuisse superiùs à nobis abunde demonstratum est. Restat ut de editione Eusebii pauca dicam, quam tu duplicem fuisse censēs. Ego contrà unicam fuisse contendō. Argumenta verò quibus mea nititur sententia hæc sunt. Editio Eusebii nihil aliud fuit quàm Origenis editio, uti testatur Hieronymus in Præfatione in libros Paralipomenon. Neque enim novam editionem emisit Eusebius, sed eam ipsam quæ ab Origene in Tetraplis & Hexaplis digesta fuerat, evulgavit. Atqui editio Origenis quæ in Tetraplis atque Hexaplis legebatur, simplex atque unica fuit, uti superiùs demonstravi. Unica igitur ac simplex fuit Eusebii Cæsariensis editio. Propterea scribit Hieronymus in dicta Præfatione, triplicem suæ ætate fuisse 70. Interpretum editionem: unam Hesychii sive Alexandrinam; alteram Lucianeam; tertiam Palæstinensem. Additque hæc verba: *Totiusque orbis hæc emiser se trifaria varietate compugnat.* Quod si duplex fuit Palæstinenis editio, ut tu censēs, non jam trifaria varietas, sed quadrifaria dicenda est. Deinde quæro abs te, utra ex his duabus legebatur Hierosolymæ & in Orientis Ecclesiis. Dices procul dubio vulgatam cum obelis & asteriscis, unico excepto Psalterio. Ita enim scribis in cap. 7. Syntagmatis tui. Verùm si apud Palæstinos sola editio *novè* seu vulgata in usu erat, quorū altera illa editio sine obelis, in qua ad latus rejecta erant quæ sub asteriscis addiderat Origenes. Certe proflus inutilis ac superflua hæc erat editio. Quorū ergo hanc editionem vulgassent Eusebius & Pamphilus, quæ nullius usus erat profutura? Dicit fortasse aliquis, in usum Studiosorum hoc ab illis factum fuisse. Sed Hieronymus diserte loquitur de codicibus qui publice in Ecclesia legebantur. Nec alio consilio Eusebius & Pamphilus Palæstinos illos codices 70. Interpretum evulgarunt, quàm ut in Ecclesiis legerentur.

Videamus nunc quibus argumentis nitatur opinio tua de duplici editione Eusebii. Quantum conicere possum ex capite 7. Syntagmatis tui, opinionem tuam hausisti primùm ex Syro Interprete qui anno Alexandri 927. omnes veteris Instrumenti libros historicos convertit ad verbum de Græco exemplari, quod manu Eusebii juxta Origenis libros in Cæsariensi Bibliotheca repositos fuerat commendatum, ut testatur Andreas Masius, qui ex illo Syriaco codice librum Josuæ, obelis, asteriscis ac lemniscis

lemniscis distinctum olim edidit. Hinc tu, & quidem ad asteriscos pertinent, cum non ex fide exemplaris sui, sed pro arbitrio suo ac voluntate fecisse. Præterea Eusebius in annotatione illa quæ legitur in Marchali libro, testatur Hieremiam descriptum fuisse à Tetraplis atque Hexaplis Origenis, & à se ac Pamphilo emendatum; & Origenis scholia ad marginem à se adscripta. Cum ergo id tantum in Hieremia se præstitisse fateatur, nec de asteriscis è contextu ad marginem ablegatis quidquam dicat, id antiquarii factum, non ipsius Eusebii esse crediderim. Quippe Eusebius editionem suam de Tetraplis & Hexaplis desumpsit, quemadmodum ipsius annotatio testatur. Atqui in Hexaplis ea quæ sub asteriscis notata erant, in textu sive ut Hieronymus loquitur, in corpore collocata legebantur. Eodem igitur modo digesta erat Eusebii Cæsariensis editio; quod etiam Syrus Interpres, cujus exemplar habuit olim Masius, apertissime confirmat. Proinde unicam fuisse censeo Eusebii Cæsariensis editionem. Quamquam si proprie ac vere loqui velimus, Eusebii editio minime dicenda est, quippe quæ nihil præter ipsam Origenis editionem exhiberet. Itaque rectius exemplaria Eusebii, seu codices Palæstinos cum Hieronymo dixerimus. Certe vetus Scholiastes in Palinos, βιβλίον εὐσεβίου non semel nominat, ut tu recte annotasti pag. 76. Joannes Morinus, vir doctissimus, in Præfatione quam scripsit in editionem Parisiensem septuaginta Interpretum, ait Eusebium & Pamphilum editionem septuaginta Interpretum de Hexaplis seorsum exscriptisse, eamque utpote Hexaplis longe magis parabilem in vulgus disseminasse. Itaque videtur sensisse Morinus, primos omnium Eusebium & Pamphilum editionem septuaginta Interpretum in Tetraplis & Hexaplis ab Origene digestam, seorsum evulgasse: quod tamen mihi quidem verum non videtur. Neque enim hoc dicit Hieronymus; sed id tantum affirmat, Eusebium ac Pamphilum codices ab Origene elaboratos evulgasse. Certe ante Pamphilum & Eusebium, Ecclesias Palæstinæ usas esse exemplaribus Origenis, & septuaginta Interpretes ex editione Origenis lectitasse, pro certo habeo. Nam cum Origenes eam editionem in Palæstina elaboraverit, nemini dubium esse potest, quin Alexander Hierosolymitanus, & Theodotus Cæsariensis Episcopus, qui Origeni favebant plurimum, & quorum præcipue impulsu hic labor ab Origene susceptus videtur, eam editionem in Ecclesiis suis statim susceperint. Aut igitur dicendum est, editionem Origenis ante Eusebium & Pamphilum in Ecclesiis Palæstinæ receptam non fuisse; quod nullomodo probabile est; aut certe faciendum est, eam editionem nequaquam primum ab Eusebio & Pamphilo seorsum evulgatam. Nam si ante Pamphilum & Eusebium Palæstini editionem Origenis in Ecclesia legebant, jam tum seorsum evulgata fuerit necesse est, cum ingentia illa Tetraplorum atque Hexaplorum volumina in Ecclesiis legi non potuerint, sed tantum in Bibliothecis ad eruditorum usus servarentur. Quid ergo præstitum est ab Eusebio & Pamphilo? Duo ab ipsis præstita sunt; descriptio & emendatio. Etenim Pamphilus cum esset profusa erga omnes liberalitatis, & alioqui opibus abundaret, plurimos codices partim ipse scripsit, partim ab aliis scribendos curavit: quos postea petentibus non viris modo, sed & feminis religiosus largitus est, ut in ejus vita scribit Eusebius, & Hieronymus ex Eusebio refert in Apologético adversus Rufinum. Eos libros cum Hexaplis ac Tetraplis diligenter collatos idem Eusebius ac Pam-

philus emendarunt. Itaque his Eusebianis libris adscribi solebat hæc nota: Πάμφιλος, Ευσέβιος διαρθεύσας, ut ex libro R. Marchali apparet. Eodem prorsus modo quo in vetustis Titi Livii exemplaribus legitur: Fl. Xicomachus Dexter V. C. emendabam dæmnia Symmachis. Et in Terentio: Calliopius recensuit, & alia hujusmodi, quæ jam pridem notavi in libro de Criticâ. Ubi etiam monui duplex esse emendationis genus. Primum est difficile ac laboriosum, quod maximo judicio indiget, ut spuria à germanis, falsa à veris distinguantur. Alterum est facilius & planius, quod fere totum in orthographia & distinctione consistit, & in collatione cum authentico seu emendatissimo exemplari. Ac plerumque ii qui Scriptores antiquos edunt in vulgus, necesse habet hujus duplicis emendationis laborem subire; id quod hodieque cottidiano experimento cernimus. Quinetiam ipse Origenes septuaginta Interpretum editionem bis emendavit. Primum ea emendatione de qua ipse loquitur in tractatu 8. in Mathæum. Deinde cum Tetrapla ipse propria manu emendavit & scholiis illustravit, ut scribitur in libro R. Marchali. De hac posteriore emendatione intelligenda sunt hæc verba, quæ proxime adduxi, Πάμφιλος, Ευσέβιος διαρθεύσας.

Ceterum ut ea quæ dixi, in compendium redigam, de versione 70. Interpretum ita cenleo. Primum quidem, unicam semper fuisse 70. Seniorum versionem, eam scilicet quæ regnante Ptolemæo Philadelpho facta est Alexandria; hæc deinde semper usos esse Judæos Alexandrinos, & reliquos Hellenistas: A Judæis deinde Christianos eam accepisse. Neque enim Apostoli & primores illi Christiani alia veteris Instrumenti interpretatione Græca sunt usi, quàm eâ quæ vulgo in Synagogis Judæorum Hellenistarum legebatur. Postea vero Judæi in odium Christianorum, quorum sectam ac religionem quotidie augeri non sine invidia cernebant, Aquilæ Judæi interpretatione sunt usi; cujus secundam editionem (duas enim versiones edidit) vocare solebant πύμνα ἀρεταίων. Certe Judæos Hellenistas, non 70. Interpretum, sed vel Aquilæ, vel Symmachi versione usos fuisse satis indicat Novella Justiniani 146. qua permissum est Judæis sacras Scripturas Græce interpretatas legere, modo juxta septuaginta Interpretum editionem eas lætarent. Permittitur etiam Aquilæ interpretatione uti si velint. Reliquæ omnes interpretationes prohibentur, quibus uti antea consueverant. Et Judæi quidem ita fecerunt, ut dixi. At Christiani septuaginta Interpretum editionem constanter retinuerunt, quippe quæ Apostolorum suffragio consecrata fuerat, & nascentis Ecclesiæ roboraverat fidem, ut loquitur Hieronymus. Nec quisquam ei versioni vel addere, vel detrachere ausus est unquam, præter hæreticos, qui eam versionem pro arbitrio suo varie interpolaverunt, ut de Apolliphane, Hermophilo ac Theodoto, qui Artemonis hæresim sectabantur, scribit Cajus apud Eusebium in fine libri quinti. Verum hujusmodi hæreticorum exemplaria non nisi apud ejusdem sectæ homines auctoritatem obtinuerunt. At vulgata editio septuaginta Interpretum, usque ad Origenem in Ecclesia permansit. Hic primus mendis quæ in eam irrepserant, partim ex Scriptorum imperitiâ, partim ex varietate exemplarium, eam purgavit, & cum tribus aliis interpretationibus collatam asteriscis obelisque distinguit, atque ita distinctam in Tetraplis atque Hexaplis collocavit. Ab hoc tempore duplex fuit septuaginta Interpretum editio. Altera κατὰ seu vulgaris, id est, corrupta & inemendata.

Alterâ incorrupta & immaculata, quæ proprie septuaginta Seniorum editio vocabatur; ea scilicet quæ intelligendus est locus Hieronymi in lib. 16. Commentariorum ad Esaiam cap. 58. Sed ne in septuaginta quidem emendatis & veris exemplaribus. Vera exemplaria septuaginta Interpretum vocat codices Hexaplorum. Certe idem Hieronymus in Epistola ad Sunniam & Fretelam citat editionem septuaginta Interpretum juxta Hexaplorum veritatem. Et in eadem Epistola sub initium incorruptam & immaculatam septuaginta Interpretum editionem in Hexaplis reservatam fuisse. Idem nihilominus Hieronymus editionem illam septuaginta Interpretum, quæ ab Origene elaborata in Hexaplis habebatur, puram ac germanam fuisse negat, tum in Epistola ad Augustinum, tum in Præfatione in libros Paralipomenon. Quæ primâ fronte pugnare inter se videntur. Quid enim magis contrarium, quàm sunt hæc duo, incorrupta, immaculata & vera septuaginta Seniorum editio habetur in Hexaplis. Non est pura nec germana septuaginta Seniorum editio ea quæ in Hexaplis legitur. Utrumque tamen verissimum est, modo intelligitur sicut intelligi debet. Nam editio Hexaplorum Origenis, abque controversa erat omnium emendatissima, & eruditi homines in suis Commentariis eam edidit nem sequebantur. Neque ex alio quàm ex hoc fonte veritas 70. Interpretum hauriebatur. Eadem tamen editio pura non erat, propterea quòd multa ex Theodotione aliisque Interpretibus habebat immixta, quæ Origenes æstetiscis prænotaverat. Quam ob causam Hieronymus in Epistola ad Augustinum, & in Præfatione in libros Paralipomenon, ait libros 70. Interpretum ab Origene esse corruptos. In quo certe iniquior mihi videtur Hieronymus adversus Origenem; qui quod bono ac in consilio fecerat Origenes, tam acerbè reprehendit. Qui enim utilius excogitari potuit quàm illæ obelorum & asteriscorum notæ, ut indicaretur lectoribus quid à 70. Interpretibus additum, quid ab iisdem omisum fuisset. Quod si Origenes ea quæ ab 70. Interpretibus omis fuerant, ex Theodotione aliisque supplens, nullam exposuisset notam qua hujusmodi supplementa à puro ac germano 70. Interpretum textu discernerentur, mens certe & ab Hieronymo & ab aliis reprehendi potuisset. Nunc verò cum asteriscos addiderit singulis locis, ad designanda ea quæ à 70. Senioribus prætermissa ipse et Theodotione aliisque suppleverat, non solum vacuus ab omni culpa, sed immortalis laude dignus mihi videtur. In eodem enim opere, 70. Interpretum libri puncti prout ab ipsis editi fuerant, lectoribus exhibebantur; & lacunæ quæ in eorum editione exstabant, ex Theodotionis aliorumque Interpretum editionibus cernebantur expletæ. Si quis itaque puram 70. Interpretum editionem legere cupiebat, nullo negotio id licebat in Hexaplis. Prætermisiss enim iis quæ sub asteriscis erant posita, pura ac germana 70. Seniorum translatio, prout ab ipsis fuerat condita, remanebat. Idque fatetur etiam Hieronymus in supradicta Epist. ad Augustinum. Hanc distinctionem cum tu vir doctissime non perdidisses, puram istam 70. Interpretum editionem ab Origene in Hexaplis collocatam fuisse censuisti, idque ab Hieronymo in Epistola ad Sunniam & Fretelam dici existimasti. Atqui Hieronymus non puram, sed incorruptam tantum & immaculatam 70. Interpretum versionem in Hexaplis dixerat referri. Quantum autem discrimen sit inter hæc duo, satis, ut opinor, ostendimus.

Post Origenem *non* illa seu vulgaris editio in dies magis magisq; corrupta est. Duæ tamen potissimum ejus editiones fuere: altera Alexandrina quæ Helychiiu habebat auctorem: altera Luciana, quæ Luciano martyri adscribatur. Nam Eusebii Cæsariensis editio quæ in Palestina & Orientis Ecclesiis legebatur, nihil pertinuit ad *non* illam seu vulgatam editionem: quippe cum nihil aliud esset quam ipsa Origenis editio, ut antea demonstratum est. Porro cum illa obelorum & asteriscorum distinctio quam in 70. Interpretum editione primus excogitaverat Origenes, Christianis omnibus mirifice arripisset, eam quoque in suas editiones transtulerunt Helychius ac Lucianus. Nec Græci modo, verum etiam Latini & Syri atq; Aegyptii, qui vulgatam editionem sequebantur, hac asteriscorum & obelorum distinctio ab Origenes reperta postea sunt usi. Quod quidem à nemine adhuc obleratum, superius, ut opinor, abunde probavimus. Scio quidem Andream Masium in præfatione in editionem suam Josuæ, aliter existimasse. Cum enim ex Hieronymo didicisset, illam sub obelis & asteriscis editionem in omnibus omnium Ecclesiarum Bibliothecis repositam fuisse, itaut vix unus codex inveniretur ipsius ætate, qui signa illa non haberet; existimavit Masius, ipsam editionem Origenis prout in Hexaplis habebatur, ab omnibus Ecclesiis receptam fuisse tam Græcorum quam

A Latinorum, Syrorum quoque & Aegyptiorum. Quod nullo modo verum est. Alioqui quomodo diceret idem Hieronymus in Præfatione in libros Paralipomenon, sua ætate totius orbis Ecclesias tripartita inter se varietate pugnasse; cum Alexandrini in 70. suis Helychii editionem probarent; Byzantini & Asiani exemplaria Luciani martyris legerent; Palestini verò Origenis editione uterentur. Attu, qui duplicem 70. Interpretum editionem in Hexaplis positam fuisse censet; alteram puram & germanam; alteram *non* seu vulgatam, de hac posteriore intelligendum esse ais, quod scripsit Hieronymus. Sed ut omittam ea quæ adversus hanc duplicem Origenis editionem superius disputata sunt, quomodo responsurus es ei argumento, quod contra sententiam Masii paulo ante protuli. Tam enim tuam quam Masii sententiam argumentatio illa subvertit.

B Habes, vir doctissime, meam de 70. Seniorum versione sententiam: & quibus argumentis adductus tuæ opinioni subscribere non possim. Superfuit adhuc nonnulla de Tetraplis & Hexaplis Origenis abs te dicta, quæ ampliorem inquisitionem merentur. Sed ea opportunius in adnotationibus Eusebianis à me prope diem exponuntur. Jam enim sento me Epistolæ modum excedere. Vale, vir doctissime. Lutetia Parisiorum Idibus Novembris, anno 1655.

HENRICI VALESII DISSERTATIO de Martyrologio Romano quod edidit Rosveydus.

FUIT hæc Baronii sententia, plurimorum postea doctorum virorum firmata consensu; Ecclesiam Romanam habuisse olim proprium ac peculiare Martyrologium; ejusque mentionem fieri tum à Gregorio Magno, tum ab Adone Viennensi: sed temporum injuriâ illud postea intercidisse. Italle in libro de Martyrologio Romano, cap. 8. Existit postea Heribertus Rosveydus vir doctus ac diligens, qui cum Martyrologium illud ab Adone laudatum & à Baronio summis votis expectatum reperisset, illud nobis edidit, præfixo veteris Romani Martyrologii ambitioso titulo. Adeoque persuasit doctis hominibus Rosveydus, ut ab omnibus diversæ etiam communionis viris, hoc Martyrologium pro veteri Romano accipiatur, ejusque auctoritate ac testimonio omnes passim in libris suis utantur. Ego verò contra affirmo, nullum unquam fuisse proprium ac peculiare Martyrologium Ecclesiæ Romanæ, ante illud quod jussu Xysti quinti Pontificis Maximi editum est hoc titulo, & Baronii notationibus illustratum. Ac ne fortasse quibusdam videar id temere affirmare, primum quidem causas afferam, quæ me ut ita sentirem impulerunt. Deinde aliorum rationibus atque argumentis respondebo.

Nobiliores Ecclesiæ suos semper fastos habuerunt, in quibus & Episcoporum nomina, & martyrum qui apud ipsos passi fuerant natales dies percripti habebantur. Ac de catalogo quidem Episcoporum Hierosolymæ, testis est Eusebius in lib. v. Historiæ Ecclesiasticæ. Tertullianus quoque in lib. de præscriptione hæreticorum, indices istos in singulis Ecclesiis studiosè servatos fuisse docet. Sic enim hæreticos alloquitur: *Edant ergo origines Ecclesiarum suarum: evolvant ut dicunt Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus aliquem ex Apostolis vel Apostolicis viris, qui*

tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem & antecessorem. Hoc enim modo Ecclesia Apostolica census suos deserunt. De Fastis verò in quibus singulæ Ecclesiæ descriptos habebant natales martyrum suorum, præter Tertullianum & Cyprianum jam ab aliis laudatos, testis est Epistola Smyræorum ad Philomelienses de martyrio B. Polycarpi. Sic etiam Romana Ecclesia quæ omnium princeps ac mater est, jam inde à primis temporibus suos habuit Fastos, in quibus & depositiones Episcoporum & natales Martyrum erant consignati. Quæ Calendaria posterior ætas vocavit. Hujusmodi Calendarium Romanæ Ecclesiæ vetustissimum, & Liberii Papæ temporibus conscriptum, hodie extat: quod doctissimus vir Aegidius Bucherius unâ cum Victorii Cyclo Paschali edidit Antverpiæ. Eiusdem generis est Sacramentarium Gregorii Magni: Item Capitulare Evangeliorum totius anni, quod à doctissimo viro Joanne Frontone nuper Parisiis est editum. Cujus libri multa MSS. exemplaria passim præstant in Bibliothecis Gallia. Verum hæc Calendaria longè distant à Martyrologiis. Singulæ enim Ecclesiæ, ut dixi, sua habuere Calendaria, in quibus digesta erant nomina Episcoporum & martyrum, diesque notati quibus memoria eorum anniversario cultu celebraretur. Martyrologia verò, non unius loci propria, sed totius Ecclesiæ fuere communia, quippe quæ totius orbis martyres confessoresque generaliter continerent. Et in Calendariis quidem nomen urbis nunquam adscribitur, cum in usum duntaxat unius Ecclesiæ comparata sint. At in Martyrologio nomina singularum urbium & oppidorum adscribuntur, verbi gratia, Romæ, Alexandriæ, Antiochiæ & similia; propterea quòd ad usum totius Ecclesiæ illud institutum est. Ex pluribus enim diversarum urbium Calendariis, unum compositum est Martyrologium. Itaque Calendaria Martyrologiis vetustiora